

XII, b2 L

5, 754



17
5
L E S S V S

Carmine elegiaco fusus,

IN FVNERE HO-

NESTISSIMÆ, EXIMIÆ

QVE PIETATIS, ET RELI-

quarum virtutum omnium laude ornatissi-

me matronæ, CVNEGVNDÆ am-

plissimi viri Dn. FRIDERICI FEL-

D E R I, illustrissimi P. & Dn. nostri cle-

mentissimi in hoc municipio Gotthano Præ-

fecti fidissimi coniugis dilectissimæ, ca-

lend. Februa. in CHRISTO

piè defunctæ, Anno

M. DC.

A

M. ANDREA VVILCKIO, IL-

LVSTRIS CASIMIRIANAE,

quæ est Gotthæ, Rectore.

CONIUNCTA

Nenis ab eiusdem Conrectore facta.

IN FVNERE HONORIS
NESTISSIMAE EXIMIAE
KONIGLICHEN KATHOLISCHEN
LEHRERIN UND DIRECTORIN
D. ER. THEOPHILINAE P. S. DE WOLFF
WITWEN IN DER KATHOLISCHEN
SCHULE ZU
S. MARIAE IN CHRISTO
P. S. DE WOLFF, ANNO
M. DC. LXXV.
A
M. ALEXANDER VILLICHO, DR.
LITURGIS CASIMIRIANUS
P. S. DE WOLFF, REDIGIT.
CONVICTA
P. S. DE WOLFF, REDIGIT.



FRIDERICE FELDERE,
 VIR AMPLISSIME, P. NO-
 STRI ILLVSTRISSIMI ET CLE-
 mentissimi, &c. in hoc municipio Gottha-
 no Praefecte fidissime, compa-
 ter honorande:

MALLEM AD TE EGO
 alio quoquam uti, quàm hoc scri-
 ptionis genere. Non quod mihi de
 MORTE commendatio aspera in auribus
 vox, res in animo sit, qua esse vite magistra
 omnibus debet: quid enim salubrius, quàm,
 ut Graeci loquuntur, ἐπιθεὶς ἐν γέρονι, quomodo piè
 moriendum, addiscere? Sed quòd singulari
 erga me tua, & scholam hanc benevolentia a-
 liud longè promerearis. Verùm quod aeterno
 illi ab aeterno in aeternum NUMINI, illi
 ut Aeschylus habet, ἀνολύτω ἀνάντι, μανέστω μανέστω
 Τελείω, καὶ Τελείω Τελειότατος placet, quis ille, tante
 impietatis homo, ex θεομάχων gente reliquas, cui
 idem displiceat? Quis ille, qui nos? Immo ve-
 rò quid ad figuli manus lutum tam fluxum,
 tam fragile? Tuam coniugem amisisti, octo li-

Aristot. 1.
 Ethicor.

In suppl.
 v. 456.

A 2 bero-

berorum matrem, Pietatis q. theatrum, vir-
tutum speculum, vita altricem, domus presi-
dem: Deum immortalem, quantum bonum,
omni eiulationum lacrymarumq; genere
maius:

Stobæus ser.
186.

Γυνὴ γὰρ ἐν νόσοισι, καὶ κακοῖς πόσι
ἡδίστη

ut Tragicorum Princeps, vel ut Megaren-
sis ait:

Sub finem
1223.

οὐδέτις — ἀγαθὴς γλυκερώτερον ἐστὶ γυναικὸς.

Eo tempore amisisti, quo opus maximè erat
socio & auxiliatrice: Eo loco, quo non potes
non agrius ferre, quàm si alio. Quem ergò ac-
cusas? si Deum, impiè: quippe qui quod su-
um, quod vsui, non mancipio dederat, abstu-
lit. Culpandus non est, qui quod equissima
equitatis est, facit, immò qui bonitas, & be-
nignitas ipsa. Sin mortem, stolidè: Insignis
temeritatis ille puer sit necesse est, qui quo va-
pulauit, colaphum aut virgam contumeliose
reprehendit & criminatur. Quid verò mors
aliud, quàm virgarum fasces, quibus cæsi ad
vitam sempiternam excitantur. Hac una
omnes

omnes pariter vapulant, sed non pari modo:
quidam salubriter ad salutem, ad exitium
verò alii, & interitum. Hic ille ἀπεροφκείσος In Bacc.
Ad vāctos Euripidi, quod nullam excusationem 1003.
admittat: ille ὁμοίως Homero, quod prorsus ne- Odyss. 235.
mini deparcat. Aequat omnes exitu, licet
inequales introierint.

———— aqua lege necessitas
Sortitur insignes, & imos Horat. lib. 3.
Omne capax mouet vrna nomen. od. 1. stroph.
4.

Quapropter, Friderice Feldere, equo a-
nimo fer, & moderato, quod ferendum est o-
mnibus. Illud fidelissimum tibi ademtum,
pectus ne nimis dedole:

Ζῶει μὲν γὰρ ὀλυμπῶσις Olymp. od.
Ἀποθανοῖσθα ————— 2. 43.
ut ex Pindaro loquar.

Fluant, inquit Seneca, lacrymae: sed ea- In consolat.
dem desinant: Trabantur ex imo pectore ge- ad. Polyb.
mitus: sed iidem & finiantur. Sic rege ani- cap. 34. &
mum, ut & sapientibus approbare possis. Ef- vlti.
fice ut frequenter coniugis tuae memoriam ti-
bi velis occurrere, ut illam & sermonibus ce-
lebres, & assidua recordatione representantes ti-

A 3 bi.

bi. Quod ita deniq³, consequi poteris, si tibi
memoriam eius iucundam magis, quam fle-
bilem feceris. Cui rei cum accommodatissi-
mum hunc LESSVM fore, Christiana
omni³ fusum, existimem, en illum T. Am-
plitud. offero, ab eaq³, etiam atq³, etiam con-
tendo, oblatum vel it eo, quo factus est, animo
suscipere, simul & me, atq³, scholam hanc sibi,
quod facit, commendatissimam habere. Ex
Museo, mense Martio, Anni M. DC.

T. Amplitud.

colens

M. Andreas V Vilckio
us Rector.



LES-

LESSVS.

Quod tibi solamen, prærepta coniuge, Præses
Ordior? & plagæ qualia verba seram?
Viuit adhuc scintilla recens, incedo per ignes
Suppositos cineri, flebile vulnus hiat.
Nunc ego si cantus, & verba medentia **GRATVS**
Confero, tu planctus mente, animoq; seris.
Odistiq; Chelyn, surdaq; auerteris aure
Et maui lacrymis ora, genæq; fluant.
Intempesta cano, citius mea carmina Tigris
Audire, & catulis orba læna velint.
Heu **FELDERE** tuo non deparfisse vel vni
CONCORDI, & **PLACIDO** tristia fata toro.
Sat, ni fallor erat, **LEOPOLDO** faneris haustum:
O Fatum præceps, heu cecidisse virum.
Nunquid crudelis documenta nefanda nequibas
Sæuitiæ dare, mors, hæc nisi iniqua dares?
Quid facias timidis, tua queis ad nomina toto
Corpore, ceu tactis fulmine, membra rigent?
Si tua **CVNGVNDÆ** tam lento vulnere, nulla
Spe reliqua vitæ, spicula fixa trahunt?
O brutum feritatis opus, num nostra vel vnquam
De te, deq; alijs hoc meruisse potest?
Iamné canam? lacrymis en & mihi carmina in ipso
Ore natant: tristis verba litura cadunt.
Sed lenis patiare precor, medicamina mentis
Ordior: ô mihi tu **CHRISTE** medela faue.
Vrbs antiqua iacet, (Salue **FRANCONIA**, salue
CORDAtorum **AL**trix clara, parensq; virum)

Cornio

Cornibus elatis quā, ceu per Theſſalā tempe,
IZIS it, & latē pinguia prata rigat.
Colle ſub herboſo paſtor, venator in antro
Dum reſidens cantu flumina grata leuat. (ros,
Qua Dux magnanimus, Dux inclytus, inclytus HE
Arx pacis, Charitum ſpes, patriæq; PATER.
Spectat ab illuſtri, & ſurgente ſub aſtra COBVRgo
Latē per terras Ius, fora, templa, ſcholas,
Hac vrbe, hac patria vitales imbibit auras,
Ingenua nata eſt hac CVNIGVNDA domo:
206 Vagiſt hac infans hac in cunabula voluit,
Lumen & in roſcum ſuſtulit illa caput.
Contigit hac veterem culpam de more piare,
Inq; ſalutiferis tollere nomen aquis,
Vtq; rudimentum primis pietatis ab annis
Fixerat, vt vitæ regula ſola foret.
Iamq; ſuum VIR TUS, probitas, decus incrementum
Fecerat, & ſanctus cum grauitate pudor.
Iam propē contigerat ſexti conſinia luſtri,
Deſſeratq; ſui FATA priora tori:
Cum tibi CONnubio Deus hanc, FELdere, laceſſit,
Vniusq; duos pectoris eſſe facit.
Salue pulcra dies, quæ tanta pectora eodem
Iunxiſti thalamo nobilitata fide.
Quæ tum cura, laborq; illi noctesq;, diesq;
Munera magna domus expediſſe ſuæ.
Quam non indulget ſibi quicquam ignobilis otî,
Quo non illius trita labore manus?
Quam famulas in opus mediò vix noctis abactò
Mollibus è ſtratis corripuiſſe iuuat.
306 Semper adauget opes, ſemperq; tuetur adauctas,
Perdere tantillum credit habere nefas,

Quamq;

Quamq̄ sui semper solius amore mariti
Aestuat, hoc potius num torus vllus habet?
Quamq̄ eius consors callet penetralia sensus,
Hocne potest thalamus maius habere? nihil.
Sæpe catenatos aulae solata labores,
In quem si grauius nouerat esse virum:
Sic monet, & flectit verbis in mitius illum:
Parce, ait, o vitæ tu mea VIT A, tuæ:
Parce, quid heu nimiùm, nimiùm te laucinat iste
Sudor, & ante diem cur nigra FAT A placent?
Vna die curis, atq̄ altera sufficit hora,
Lumine ne posito noctibus adde dies.
Ante suum, sæpe est auditum, pectore curis
Oppressum nimijs interisse diem.
His collo inserpit, verbisq̄ precantibus addit
Rorantes lacrymas ora, genasq̄, suis.
Felix, in cuius complexus foemina nupsit
Tam raro egregiæ mentis honesta bono.
Vt benedicta DE I fuerat quam munere grato,
Bis quater ex vno facta parente parens:
Qua sobolem cura primis informat ab annis,
Quamq̄ tepente fouet membra tenella sinu.
Instillat, tanquam lactente mel vbere, mamma
Semina VIR TV TV M, noticiamq̄ DE I:
Ceu vultum cera, sic mores pollice ducit,
Atq̄ cauet teneris, ne qua nocere queant.
Sic oculos, frontem, sic ora, manusq̄, pedesq̄,
Hocq̄ lepore feras corpore membra tuo.
Ne facias vicibus, moneo, nec turpia ludas,
Fœdaq̄ visu sint hinc procul, inde procul.
Sic veniente die, sic decedente supremo
Artifici rerum verba precesq̄ canas.

B

His

His sua perpetuò, rara virtutis imago,
Erudijt monitis pignora blanda pijs,
Discite matres hinc; ne damna domestica vestros
Corrumpant natos ad scelus, atq; nefas.
Sunt etenim dociles imitandis turpibus omnes,
Quolibet & clades est CATILINA loco.
50. Scilicet hac CVNEGUNDA fuit pietate, fideq;
Hac & disposuit sedulitate domum.
Et tamen, heu FATI legem, mors vltima tandem
Pensa legens ipsi stramina pulla trahit,
Altera post Ianum veterum à purgamine dicta
Turbida luciferis Luna recurrit equis.
Stat tellus adoperta gelu, nix aggere turres
Aequat, & ingentes flumine sistit aquas.
Vis Aquilone ruens magnum per inane procellas
Ingeminat niuis, & grandine grandè furit,
Vix equidem credar, septem plice pelle reuinctum
Frigoris asperitas, ima sub ossa, ferit.
Vrbis inundatos glacie vndiq;, & vndiq; vicos
Vidimus, & mediam quamq; natâsse domum.
Feralis cùm lux, & inexorabile FATVM
Te CVnegunda, petit, te, CVnegunda, manet.
Omne perit iuuenile decus, totoq; salubres
Labuntur vires corpore, sanguis hebet,
Et macies, & pallor adest, & triste pererrat
Membra gelu, & laeuis concutit ossa tremor.
60. Nunc alto attrahitur, nunc sistit Spiritus alto
Pectore, nunc aura deficiente redit.
Nulla cibi, viniuè fames, torpente palato,
Nec dulcis mulcet lumina fessa quies.
Nil acidi fontis latices, succiq; potentes,
Nil herbæ, fruticum nil genus omne iuuat:

NIL

Nil docti, indoctiꝫ valent: artesꝫ medentur
Sive GALENE tua est, seu THEophraste tua.
Vsqꝫ adeo radix nullo generascit in horto,
Quæ vires possit, Mors, iugulare tuas.
Scilicet hæc ipsi certissima mortis imago,
Scilicet hæc dantur nuncia signa suæ.
Interea constans animo, spe firma, fideꝫ
Inconcussa suam fert moderata crucem.
Quàm vigiles oculos, quàm sæpe ad sidera flectit,
Quàm supplex humili fundit ab ore preces:
Quàm gemitus, & quàm suspiria corde fatigat,
Quamꝫ dolente DE VM voce lacescit opem:
ALME PARENS rerum, tua quæ fert sancta voluntas
Eueniant: nihil est, hæc nisi sola, bonum.
Intemerata FIDES queis solo nititur in te
Auxiliatricem porrigis vsqꝫ manum,
Consilijs inopes multo solamine ditas,
Arctisꝫ in rebus tu breue pandis iter.
Felix ille animi, tibi qui confiderit, annæ
Hunc in perpetuum deseruisse potes?
Tu mihi solamen, mea spes, mihi vita, meum cor,
Non auersa feram, si qua ferenda dabis.
Tu numero passos, tua ceu me conscia firmant
Verba, mei crines verticis ipse legis,
Excubijs tu me, me tu munimine scuti
Protegis, & dextra cuncta nocenda fugas.
Ergò lubens moriar, si sic tua NVMINA poscunt,
Et positus vitæ est terminus ille meæ.
Tu modo luctantem, cum nexu corporis ibit,
Hanc animam manibus suscipe, quæso, tuis.
Morte tua cuius mortem, tu sanguine cuius
Crimina, & infernum destruis ipse tuo.

B 2

Ne

Ne me lethiferis inuoluat cassibus orcus,
Ne stygia aeternum compede vincita trahar.
80. Hæc animæ requies petitur mihi, cætera iustis
Exequijs gelida contumulentur humo.
Vix hæc ediderat, toto cum corpore sentit
Illapsam colubri viscera ad ima malum.
Sic igitur morior, mea maxima cura **MARITE**,
O desiderium, dimidiumq; mei.
Sat mundo, sat & ipsa malis, heu tristia, vixi:
Exacto tandem tempore **FATA** vocant.
Nunc morior, nostriq; tori tibi germina linquo,
Linquo animæ, & vitæ pignora cara meæ.
Hæc tu Nestorio, precor ô, numerosior auo
Felix præsidio blanda tuere tuo.
Vt paruis olim collo, amplexusq; lacertis
Illa tuo soboles dulce pependit onus:
Iam magis esse velis pater, & ceu munera **Patris**
Deposcunt magis hanc insinuare tibi.
Sit pia, sit virtutis amans, veneransq; parentis:
Non alia poterit sanctius arte regi.
Nec, **FRIDERICE**, nimis mea tristi funera luctu
Accipe: singultu vertere **FATA** nequis.
90. Aethere ne forsan summo descendere cogar,
Et properè in lacrymas tristior ire comes:
Si post **FATA** datur terras inuisere inertes,
Et mundi rursus lubricam adire fidem.
Non pereo, præeo velata Palatia cœli
Visum, ceu peregrè qui speculator abit,
Overò generis nostro de sanguine missum
FILI, **FILIOLAE**, stemma, propago, domus:
Vobis reliquias vacui iam pectoris omnes,
Effundo, & Lingua verba cadente loquor:

Quæ

Quæ properata dedi teneris præcepta sub annis
Perpete vos animo commeminisse decet.
Viuite concordēs, longumq; valetē, nec vllō
Crimine maternos contemperate rogos.
Sic ait, atq; animam ceu somno victa resignat,
Depositam gremio CHRISTE benigne tuo.
Eheu qui luctus, quàm singultantia verba
Mixta prece hanc animam concomitata cadunt,
Ite pij manes, epulisq; assuescite Diuūm
Gratuito extructis ætheria arce penu,
Pars superas poscit tremulis vlulatibus auras,
Pars planctū lassat pectora aperta suo.
Liuentesq; genas lacrymis exercet, & instat
Lamentis totam mœsta replere domum,
Et famuli plorant, atq; agmina sordida seruae
Ceu matrem, dominam morte iacere, dolent.
Quàm miserè soboles prono super oscula vultu
Fusa, suæ matris ferrea FATA gemit.
Tené parens nostro amplexu subducere dulci?
Aetatem impubem linquere tené parens?
In te quæ genetrix nostræ commissa iuuentæ?
Num vetitum contra fecimus, anné decus?
Num vitij forsan nostrorum formula morum
Torta suum à recto tramite flexit iter?
Quæ sacra polluimus? quas incestauimus aras?
Num pudor, an pietas, an violata fides?
Numquid frustratæ fuimus? quæ culpa? quis error?
Quem luimus tantis, turba misella, malis?
En teneris mater nostris auulsa lacertis
Eheu cordolium, funus & vmbra iacet.
Quæ deinceps animo mater, quæuē esse patrona,
Quæ nutrix nostrūm tam preciosa potest?

100.

101.

110.

B 3

Quæ

Quæ xerampelino nos manẽ inducet amictu,
Quæ rigidas pellet duplici veste niues?
Extendet, pectetq; comas, & voluet in orbem,
Fœminea armabit brachia nostra colo?
Sicne paras H Y M E N nobis, sic fœdera lecti?
Heu nostrum columen, portus & aura cadis?
O spes fallaces, ô somnia inania, vitam,
Quam rotat heu celeri turbine cuncta D E V S.
Talibus illa modis indulget fræna dolori,
Et procul in sensus altius ire sinit.
Et quanquam cessasse velit, tamen vltro recurrit:
Ah mater, mater, tam citò tenè mori?
His equidem lacrymis Tigres, sævasq; Leænas
Fœtibus orbatas illacrymasse puto.
Sæue nimis quisquis misera hæc in funera missos
Castigas luctus, & doluisse vetas.
Indignantur equos Parthi inter bella peremptos,
Et deflet fidos turba Molossa canes.
Quin volucres habuere rogam, leffumq; Maronis
Cervus, si chartæ vera loquuntur anus.
Hoc P A T E R audito pulsata per atria fletu,
Quàm lacrymis miscet tristia verba suis.
Mox immanè gemit, mox fœdans ora tepentes
Affatur cineres talibus ipse modis:
Cur me, cur sobolem, CONiunx fidissima linquis,
Nostra curarum mole fluente domo?
Tu custos, tutrixq; Laris, præsesq; laborum,
Tu solum nostris summa medela malis,
Seu nostrum peteret sæuissima vipera, mendax
Gurgite de Siculo fama profusa, genus.
Seu summo incumbens æstus de vertice montis
Ignibus inuisis iceret alta caput.

In

In nos seu rueret stridens Aquilone procella
Fluctibus innumeris noctem, hyememq; ferens,
Tu sola ærumnas omnes, casusq; leuabas:
Sæpe tuis monitis lenius ibat onus,
Te sine nil letum, sine te sunt tempora vitæ
Mors, & sunt tenebræ Solq; diesq; mihi,
Ipsa domus facies sine te mutata serena,
Atract; ceu lapsa sidere squalet hyems. 130
Heu mihi, placari minus aspera numina posse
Lethes, nec flecti, tristia FATA, DEAS.
Felix, cui sanctum spolium ceruice parentem
Igne Mycenæo diripuisse datum est.
Felix, qui sæuis genitorem Scipio pœnis
Abstulit incolumen, restituitq; suis.
Ah quanto ipse magis, si pro te diuite Gaza
Exorata mihi stamina pulla forent.
Et quamuis nunc te lacrymoso funere mittam:
Attamen in totum non rapiere mihi.
Assidue libabo dapes, & pocula sacris
Manibus, atq; tui lucida fæxa colam.
Te similem docti referet mihi linea Apellis
VV EIER I, similem te mihi finget Ebur.
Inde viam morum, longæq; examina vitæ
Deposcam, & de te somnia grata feram.
Sed quid? vbi soboles hoc acclamauerit ore,
MATER vbi? MATrem quæso venire iube.
Quid? CATHarinula vbi fletu ingeminârit eodem, 140
MATER vbi? Matrem quæso venire iube,
Quid? si per tectum fallax responsat imago,
MATER vbi? Matrem quæso venire iube.
Quid? nisi quos habeo lugubria munera reddam
Eletus: heu tecum non licuisse mori.

Sic

Sic ait : & tacito lacrymarum gurgite flumen
Crescit, & undolis fluctibus ora rigat.
Interea Pheretrum, vestis simul instita facta est,
Qualia defuncti munera ferre solent.
Hinc properant iussi supremum funeri honorem
Soluere, & exequias ire frequenter amant,
It schola principio, & longo comitatur elencho
Quingenis pueris, ordine ubiq; pari.
Ponè subit, magnum decus, vtriusq; Synedrî,
Bis bini proceres, numinis igne sacri,
Itq; senatus, eunt ciues, it maxima turba,
Et qui sunt ruri de potiore viri.
Itq; puellarum, matrum simul agmen it ingens,
Et plangit palmis pectora casta suis.
Eminet ante omnes tristis, ceu turture coniunx,
Cui toga pulla imos defluit vsq; pedes.
Præcipue obtentu pepeli mœstissima inumbrans
Os soboles spargit fletibus ossa suis.
Ipsam sed medio sublime effertur in urna
Funus, & atratis tollitur octo viris.
Hoc ritu exuuiæ sacram ducuntur in ædem
Margaris : & diua contumulantur humo.
Sic CVNEG V N D A iacet lapsis solamen, egenis
Mater, pupillis spes, miserisq; salus,
Fœminei sexus lumen, virtutis Iaspis,
Exemplar matrum, docta magistra domus.
Hanc ætas omnis mœret, iuuenesq;, senesq;,
In partem luctus fœmina, virq; venit.
Et Thuringiacæ matres, & nobilis ordo
FRANcarum, lacrymis, ora, genasq;, natant.
Tanta pijs feritas, tanta est insania luctus,
Tam cultum GER MEN si pietatis obit.

150.

Illa

*Il*la sed ignitos Hyperionis anteit axes,
Aetherij splendens facta CORONA tori.
CHRISTVS ei merces, suauissima dona, paratus 160.
Mixta quiete SALVS, mixta salute quies,
Hunc canit, ac nobis non enarrabile carmen
Obloquitur numeris, & benefacta sonat:
Maeste tuis meritis, IESV, dos sancta piorum:
Eia mihi per te gaudia tanta fero.
Nil curo mundum, nil implacabilis æstus
Turcæ, nilq; tuas, tristis Ibere, minas.
Non vrgent morbi, non me vis effera Clotho
Dolat, nec vultus ruga senilis arat.
Non me Primigenæ commissa piacula lapsu
Vrunt, nec Stygijs impedit orcus aquis.
Sed citharæ, cantuq; iuuant, sanctiq; triumpho:
Ipsius è vitæ fonte perennè bibo:
Aeterniq; patris mens, & sapientia, Verbum
Feruïda diuino lumine corda rigat.
Maeste tuis meritis, IESV, dos sancta piorum,
Eia mihi per te gaudia tanta fero.
His sanctos inter modulis, animasq; piorum,
Aetheria gaudet se regione frui.
Illius & notis soboles exultat in vlnis, 170.
Eius quæ ventris sarcina prima fuit.
Salve clara parens, Salve PIETATIS amatrix
Et fruire æternis, quæ TIBI parta, bonis.
Tu verò, FELDERE, tua virtute virili
Vince animum: benè habet: vis superata mali.
Terge genis lacrymas, animoq; euelle dolorem,
Quanquam ictus grauius non leue vulnus alis.
Hoc tua te fortuna iubet, vult pagina sacri
Dogmatis, & sani mens, ratioq; docet.

C

Flere

Flere datum, sed nempe datum est pietatis ad vsum:
Gens aduersa DE O flet sine lege suos.
Et nocturna monet, monet & CVNE gunda diurna:
Pone vir o luctus: quid facit ille dolor:
Mortua: peccatis, hoc tempore mortua: FATO
Debuit: his vllus numne resistet homo:
Omnibus itandum est, nil quod cauffemur habemus:
Quotquot humi nati, tot quoq; humanur humo.
Scilicet hac vita ceu somnia degimus vmbra,
Sape quibus vanum cura facefsit onus,
180. Ambigis: at series antiquæ ab origine gentis,
Per tot ducta domos non sine strage, probat.
Cui validas vires melior Natura, DE V Sçp
Et VITAE dederat secula penè decem:
Quiq; suo natos natorum sanguine, & auctam
De serie in seriem viderat vsq; domum:
Cuiq; sua de stirpe datum procudere Gentem,
De GENTE imperium, sceptraq; tollere erat:
MA THVS Alæ tandem longissima carpitur ætas,
Fit minor, & gelido corpore sanguis hebet.
Aemula temporibus geminis aspersa senectus
Canet, & agrum cor tussis anhela quatit:
Genua labant, Aetna grauiori mole, grauata:
Impositoq; gemunt pondere saepe suo:
Haud fecus annosa emoto fundamine summo
Alta suo nutant vertice tecta domus:
Nunc huc impendent, nunc illuc turbine, donec
Fit fragor, atq; ima diruta sede ruunt.
Sic post infandos casus, post mille labores
Cessat in hac moriens esse superstes humo:
190. Et cadit, & tenuem, cunctis maturior æui,
Ille sui vmbellam vix superesse facit.

Scilicet

Scilicet hac vita ceu somnia degimus vmbrae,
Sæpe quibus vanum cura facessit onus,
Aspice NELEIVM, si quicquam credis HOMERO,
Quamuis trisseclis vixerit ille senex:
Ille per extremas quamuis decurrerit vrbes,
Quâ maris ignotum allabitur vnda solum:
Ille manus CICONVM sæuis oppresserit armis,
Nec cœptum Cyclops flexerit vllus iter:
Ille etiam incultos Læstrigonas, Antiphatenq;
Viserit, Artaciæ quos gelida vnda rigat:
Ille latebrosas audax accesserit oras,
Cimmeriõn, nunquam queis fuit orta dies:
Inter Sirenas, Scyllam, vastamq; Charybdin,
Incolumis sæuum legerit ille fretum:
Felicem nimium, qui per tot tristia mortem
Secula præsentem distulit vsq; suam,
Quid tamen? Et misero tandem Phæacia tellus
Finis: Et, heu, quid nunc sunt ea cuncta? Nihil.
Scilicet hac vita ceu somnia degimus vmbrae,
Sæpe quibus vanum cura facessit onus.
Thebarum quot sunt portæ, quot & ostia NILI,
Cumææ tot erant secla peracta DVCI:
Cum superest annis numeros vt pulueris æquet,
Tercentumq; illi musta videre datur.
Secula nunc vbi tot? tot vbi nunc pulueris anni?
Disperiere, velut pulueris aura solet.
Nunc vbi Mygdonij veteris spaciosa senectus?
Transiit, & si quid tum fuit illa, fuit.
Gentis Hyperboreæ iam nunc vbi grandior ætas?
Transiit, & si quid tum fuit illa, fuit.
Hesperijs vbi nunc æui Rex diues in oris?
Transiit, & si quid tum fuit ille, fuit.

C 2

Ille

Ille vbi, qui nomen numeroſo è tempore traxit?
Transiit, & ſi quid tum fuit ille, fuit,
Scilicet hac vita ceu ſomnia degimus vmbrae,
Sæpe quibus vanum cura faceſſit onus.
At quid enim rimor veteres? heu funeris vna
Sufficit exemplum qualibet hora die,
Dum loquimur, cecidère ſimul, iuuenesq; ſeneſq;
Iroq; & Craſo terra recluſa fuit,
Vſq; adeo mortis viſ importuna: profanat
Omne ſacrum, cunctis inijcit illa manus.

M. Andreas V Vilckius
Rector.



NAENIA.

Antiſtitor *FELDERE* grauiffime,
Quo iuris æquo præſide candidi
Viſ à probis vim dira nigram
Abſtinet, illicitamq; fraudem,
Mærore quo te pectora ſaucium
Quati rear? dum coniugis algido,
Sopita letho membra coniux
Debitor exequiis parentas.

Hanc

Hanc corculi iam dimidium tui
Ægrè reuulsam pectore eburneo,
Cura hanc leuamen astuantis,
Hanc columenq; domus requiris.
Hanc prolis absentem tener & calens
Suspirat ardor, nec laceras genas
Tot lacrymis, erugat vlla
Obueniens obiter voluptas.
Hanc funeras, dum ritibus integris,
Collegia utriusq; Synedrui
Ecclesia iuxta, & senatus
Coniugis exequiantur ossa
Pulla frequentes quisq; sua toga
Adsunt amicti: pompaq; lugubris
Magno apparatu prodit, atq;
Multa patent documenta honoris.
Hanc qualibet de fœmineo choro
Matrona luget, qualibet inscia
Desiderat puella fœda
Fœminei decoris coronam.
Energeten desiderat vnicè
Plebs indigens, plebs pressa penuria,

C 3

Quos

Quos namq; dedignata egenos
Non rogata ope subleuauit?
Sed vixit hac, vita & laboribus
Defuncta, labis pocula lurida
Edormiet, Christi nouato
Corpore voce resuscitanda.
Vixit D E O, vixitq; parentibus,
Vixit marito commoda, liberis
Vixit suis, cui non benigna
Vixit, & inde tulit quod optes?
Quid hoc quod optes? delicias suas
Vita decentis præmia debita
Inde tulit memoranda in æuum,
Testes cauato quin tumulto accubant,
Decusq; matronale frequentibus
Præconiis fama loquuntur:
Mens pia, castus amor, fidesq;
Sic vixit, & vite spacium breue,
Ut debuit, per mensa volubilis,
Necessitatis iure fixo
Corpus humo dedit integendum.

Vixit

Vixit D.E.O, sed mortua crimini
(Heu qua luis tam dira necessitas)
Cupidinem prima parentis
Indomitam luit, & reatum.
O nos beatos, nostra reatui
Si haud subiaceret vita, sed o dolor.
Tenemur omnes, mancipamur
Imperio necis illigati.
Sed nos salutis forte beatulos,
Enormiter Christus lue sordidos
Morte expiavit innocente,
Immeritosq; retraxit orco.
Quid ergo mors? vindemia criminum
Sed morte CHRISTI foeta luis seges,
Sit quantacunq; funeratur,
Funere foenus agitq; vita.
Hoc foenus agra lata refectio
P R A E F E C T E vita manibus obtigit
De mortua, immortalitate
Funere praegelido potita.

Humi

*Humi quiescat corpus, at aethere
Liber triumphet Spiritus aureo,
Christus reuincta dum vicissim
Corpus itemq; animam beabit.*

M. Bernhardus Glas-
rus Conrector.

S M A L C A L D I Æ

Michael Smück
excudebat.

M. DC.



29
we 34/5

ULB Halle 3
003 483 487





Sb.

VD 77

we - Retros ✓







19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

8
7
6
5
4
3
2
1
0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

LESSVS
Carminc elegiaco fusus,
IN FVNERE HO-
NESTISSIMÆ, EXIMIÆ
QVE PIETATIS, ET RELI-
*quarum virtutum omnium laude ornatissi-
ma matrone, CVNEGVNDÆ am-
plissimi viri Dn. FRIDERICI FEL-
DERI, illustrissimi P. & Dn. nostri cle-
mentissimi in hoc municipio Gotthano Pra-
fecti fidiſſimi coniugis dilectissima, ca-
lend. Februa. in CHRISTO
piè defuncta, Anno
M. DC.*
A
M. ANDREA VVILCKIO, IL-
LVSTRIS CASIMIRIANAE,
quæ est Gotthæ, Rectore.
CONIUNCTA
Nænis ab eiusdem Conrectore facta.